POSITIONES
EX
JURE FEUDALI.

1.) Dominus etſi vaſallo rem in feudum *gratis* concedat, nihilominus huic evictionem præſtare debet.

2.) Vaſallus ſi conſentiente domino feudum in extraneum *gratis* transferat, huic ad evictionem non tenetur.

3.) Vaſallus feudum alienans, ſi alienatario evictionem præſtat, huic obligatur ad intereſſe, quod tamen ſecus eſt, ſi dominus vaſallo evictionem præſtat.

4.) Secundum jus commune nequit pater feudum ſuum filiæ, bene tamen hæc poteſt feudum ſuum marito in dotem inferre.

5.) Feuda noſtra provincialia filiæ in dotem conferri poſſunt à patre.

6.) Traditio feudi in pignus ſine domini conſenſu *illicita* eſt.

7.) Conſtitutio hypothecæ in feudo ſine domini conſenſu facta pœnam privationis poſt ſe non trahit.

8.) Secundum jus commune vaſallus non tantum partem, ſed & totum feudum irrequiſitio etiam domini conſenſu in emphyteuſin *licite* dat.

9.) Noſtra feuda provincialia ſine conſenſu Sereniſſimi noſtri tanquam domini directi in emphyteuſin dari nequeunt.

10.) Succeſſionem feudalem juris communis eſſe *linealem*, ideoque linea proximiorem, etſi gradu remotiorem, excludere gradu proximiorem, ſed lineâ remotiorem, textus II. f. 50. extra dubium ponit.

11.) Aſt num ſucceſſio hæc linealis etiam in feudis noſtris provincialibus locum habeat, eſt quæſtio altioris indaginis, ſiquidem Voets *in obſervat. feud.* 16. eam tueatur, econtra Sande *in commentar. in gelr. conſuetud. feud. tit.* 3. *Cap.* 2. §. 7. *n.* 3. æque ac Christinæus *in decis. belg. vol*, 6. *dec.* 46. *n.* 11. teſtentur eam in feudis juliacenſibus non obſervari.

~~[illegible]~~

[illegible]

[illegible]

~~[illegible]~~

bar zu [illegible] Jannuij Mf. rechnung

den april [illegible]